



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

XXXII. De irritis distractionibus episcoporum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

ANNO CHRISTI 393.

XXVIII.

Irritam esse iniustam episcoporum damnationem : & idcirco a Synodo retractandam. n. q. 3. Irritam esse & iniustam.

XXIX.

Episcopus, si clerico vel laico crimen impegerit, deducatur ad probationem in Synodum. 6. q. 1. Episcopus si cleric.

XXX.

Caueant iudices ecclesie, ne absente eo cuius causa ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit, imo & causam in Synodo profecto dabunt. 3. q. 9. Caueant.

XXXI.

Vt episcopus rebus ecclesie, tamquam commendatis, non tamquam propriis, vtatur. 11. q. 2. Sine exceptione.

XXXII.

Irrita erit donatio episcoporum, vel venditio, vel commutatio rei ecclesiasticæ, absque conuenientia & subscriptione clericorum. Ibidem.

XXXIII.

Episcopi vel presbyteri si causa visitandæ ecclesie ad alterius ecclesiam venerint, in gradu suo suscipiantur, & tam ad verbum faciendum, quam ad oblationem consecrandam inuitentur. 7. q. 1. Episcopi vel presbyteri.

XXXIV.

Vt episcopus quolibet loco sedens, stare presbyterum non patiatur. Distinct. 95. Episcopus in quolibet loco.

XXXV.

Vt episcopus in ecclesia, & in confessu presbyterorum, sublimior sedeat. Intra domum vero, collegam se presbyterorum esse cognoscat. Distinct. 95. Episcopus in ecclesia.